

viscera misericordiae non deesse sperantibus in Deum, et fore miserationes ejus super omnia opera ejus. *Psal.* cXLIV, versicul. 9, idcirco opem suam largiter fortiterque in corda fidelium effundere medio pretiosissimo, ac sanctissimo Redemptoris Jesu Christi sanguine pro totius mundi salutare ineffabiliter et incomprehensibiliter dato.

(31. Moribundi possunt, imo etiam quandoque tenentur contrahere matrimonium. *Vide verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII*, art. 6, n. 58.

(32. Moribundum in articulo mortis constitutum nec licite, nec valide posse absolvi a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut haeretico mordicus defendit Fagnanus, in cap. *Non est vobis* 11, De sponsalibus, per tot., ubi adducit ad id expressam declarationem sacrae congregationis Concilii in haec verba: « Episcopus Valentinus petit declarari utrum poenitentes in articulo mortis constitutos possit a casibus reservatis absolvi quilibet sacerdos, etiam excommunicatus et denunciatus, » ut tenuit Navarr., *De regulis confessoriorum*, cap. 27, n. 272, vers. *Quod per eadem verba*, fol. 551. Et congreg. generalis Card. Moroni, Alciati., Senonen. M. Alt. S. Sixti censuit « non posse, quia communis opinio videtur illa, quod tales excommunicati non possint etiam in hoc casu necessitatis. » Quam sententiam confirmant isti cardinales auctoritates tredecim celeberrimorum auctorum, nempe Magistri sententiarum, S. Thomae, Scoti, Durandi, Capreoli, S. Antonini, Turrecrematae, Bacchon., Alexandri de Ales, Richardi, Abbatis, Decii et Navarri. Et postea explicant quo sensu debeat intelligi hac de re concilium Trident. « Nec obstat caput 7, *De casuum reservatione*, quia debet intelligi de omnibus sacerdotibus in unitate Ecclesiae viventibus, referendumque ad eos sacerdotes, de quibus eodem capit. 7, in prima et secunda parte agitur, qui habent ordinariam vel delegatam potestatem. » Haec sunt propria dictae declarationis verba, ut testatur Fagnanus, *loc. cit.*, n. 2. Hanc negativam sententiam secuti sunt S. Raymundus, Covarruvias, Joannes Medina, Pannormitanus, Praepositus, auctor *Glossae Decreti Gratiani*; auctor *Colloquiorum Condomensis diocesis*, et alii citati et secuti a Joanne Pontas, *verb. Absolutio*, casu 31, in fine; Matthæuc. *Official. cur.*, cap. 2, n. 19; Pignat., tom. X, consult. 136, n. 15, et alii innixi supradictae cardinalium declarationi; qua vera supposita, et a Summo Pontifice, ut supra exponitur, approbata, non esset ullimodo ab ipsa recedendum. *Vide tamen infra*, num. 39.

(33. At vero affirmativam sententiam, nempe posse poenitentem in articulo mortis, in defectu alterius sacerdotis habilis, licite et valide absolvi a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut haeretico, sustinent Paludanus, Silvester, Sotus, Melchior, Canus, Toletus, Azorius, Bonacina, et auctor *Colloquiorum diocesis An-*

tuerpiensis apud Pontas, *loc. cit.*; Reiffenstuel, lib. v *Decretal.*, tit. 7, § 8, num. 408, testans de communi; La Croix, l. vi, part. II, num. 1560, testans cum Ariaga de communissima; Barbosa in concil. *Trid.*, sess. XIV, *De sacram. poenitent.*, cap. 7, num. 13, cum Cano, Navarro, Toletus, Comitolo, Azorio, Reginaldo, Coninch, Riccio, Bonacina, Layman, Suarez, Molina, Torreblanca, Fagundez, Bossio, et Hurtado ibi citatis; Rosignolus, *De poenit.*, part. I, qu. 7, art. 6, a num. 10 ad 14, cum aliis ibi citatis; Felix Potestas, tom. I, part. IV, cap. 5, n. 3245, et tom. III, part. I, num. 171, cum aliis ibi allegatis; Gobat, tom. I, tract. 7, n. 129, Sporer, tom. III, part. III, c. 6, quæst. 6, num. 724, testans cum Layman, card. de Lugo, et aliis de communissima doctorum, qui, praesertim Gobat, et Sporer, ac alii intelligunt super allatam declarationem sacrae congregat. Concilii apud Fagnan., *loc. cit.*, de absoluteione data ab excommunicato vitando, degradato, haeretico, aut apostata in praesentia alterius sacerdotis carentis illis vitiis, quae utique absoluteione esset et illicita et invalida, juxta etiam dicta sub verb. *ABSOLUTIO*, art. 1, num. 51 et 52. At si nullus omnino adesset alius sacerdos, esset et licita et valida, quia verba concilii Tridentini, cit. sess. XIV, cap. 7, amplissime, et generalissime expriment, quod in illo articulo extremæ necessitatis, « ne hac occasione aliquis pereat... Omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvi possunt. » Qui autem omne dicit, nihil excludit; l. *Hoc articulo* 29, ff. *De heredib. instituend.*; l. *Si cui servo omnes* 52, ff. *De legatis* 1; l. *Penum meam omnem* 7, ff. *De penu legata*; cap. *Si Romanorum* 1, dist. 19, cap. *Soluta* 6, § *Nobis*, De majoritate et obedient., et ibi *Glossa verb. Quodcumque*, expresse dicens: « Qui dicit omnia, nihil excipit. » Verba enim generalia generaliter sunt intelligenda, cap. *Quia circa* 22, De privilegiis, cum similibus; et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; l. *Non distinguemus* 32, ff. *De receptis arbitr.*; l. *Præses* 3, *De officio præsidis*; l. *De pretio* 8, ff. *De publiciana in rem action.*, cit. cap. *Quia circa* cum similibus.

(34. Tum quia credendum non est, quod Ecclesia voluerit deserere poenitentes in tali extrema necessitate constitutos, sed potius tanquam pia mater voluerit illis succurrere hoc salutari presidio, habilitando sacerdotes etiam rescisos ad absolvendum in defectu aliorum, sicuti etiam per adversarios habilitantur simplices sacerdotes nondum ad confessiones excipiendas approbati ex cit. sess. XIV, cap. 7 concilii Tridentini. hac potissima ratione, « Nec hac occasione aliquis pereat. » Unde in consimili extrema necessitate pia mater Ecclesia permittit quod baptismus possit recipi etiam ab haeretico et excommunicato, cap. *Praeter* 6, § *Verum*, dist. 32; cap. *Si quem forte* 40, caus. 24, quæst. 1, cum similibus; adeoque censendum est, quod permittat in extrema necessitate recipi etiam posse poenitentiam,

cum baptismus parvulorum, et poenitentia morientium sint sacramenta necessitatis, secundum *Glossam* in cap. *Non est vobis* 11, De sponsalibus, verb. *Baptismus parvulorum*; uti videtur innui etiam in ipsomet cap. *Non est vobis*, ubi tempore interdicti Angli impositi, interdicuntur omnia divina, et sacramenta, « praeter baptismum parvulorum, et poenitentias morientium. » Hinc in Rubro, et Summa, d. c. *Si quem forte*, sic habetur: « in extremo positus etiam ab haeretico poenitentiam accipere valet. » Nam quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, cap. *Quod non est* 4, De regul. juris. Necessitas enim non habet legem; cap. *Sicut* 11, d. 1, De consecr., c. *Omnes* 1, De feriis; cap. *Consulisti* 3, De celeb. missar.; c. *Consilium* 2, De observat. jejuniar., cum similibus. Unde sacri canones passim clamant morientibus poenitentiam non esse denegandam, cap. *Si quis de corpore* 6, cap. *Si recedunt* 7; cap. *Is qui poenitentiam* 12; cap. *Agnovimus* 13; cap. *Presbyter* 14, dist. 26, q. 6; c. *Quod in te* 11, De poenitentis et remissionibus, cum similibus.

(35. Hinc attenda piæ matris Ecclesiae, ac tot sacrorum canonum benigna interpretatione, et innumera doctorum copia, necnon pene communi, ac communissima opinione, testibus supra allatis, auctoribus pro sententia affirmativa, concludendum est, posse moribundum in extrema necessitate articuli mortis, in defectu alterius sacerdotis habilis, absolvi a sacerdote excommunicato vitando, degradato, haeretico aut apostata; et allata sacrae congregationis declaratio intelligenda videtur de absoluteione data a sacerdote excommunicato vitando, degradato, haeretico aut apostata, in praesentia alterius sacerdotis carentis dictis vitiis, quae utique absoluteione, ut dicebatur, esset et illicita, et invalida, non autem de absoluteione data ab ipso in defectu alterius sacerdotis habilis, ut eam explicant Gobat, et Sporer, *locis citatis*, et alii, quia adhuc verificaretur de ipso, quod esset sacerdos juxta concessionem concilii: *Omnes sacerdotes*, cum ejus sacerdotalis character sit indelebilis, et in tali casu extremæ necessitatis, « ne, juxta piissimam mentem concilii, hac occasione aliquis pereat, » Ecclesia tollit omne impedimentum canonicum ex parte sacerdotis, eique dat omnimodam jurisdictionem ad id necessariam; cum interpretatio semper facienda sit in benigniorem partem, cap. *Cum tu* 16, De testibus, cum similibus. Si autem auctoritative, et clare constaret, quod mens sacrae congregationis et Summi Pontificis esset, quod neque in defectu alterius habilis sacerdotis possit moribundus in tali extrema necessitate articuli mortis absolvi a sacerdote excommunicato vitando, degradato, haeretico aut apostata, non esset ab ipsa sententia negativa recedendum, quia in claris non admittitur interpretatio, ut docet communior doctorum post *Glossam* in c. *Cum dilectus* 8, De consuetud., verb. *Nec juri communi*, et colligitur ex l. *Licet impe-*

rator 74, ff. *De legatis* 1, et l. *Ille aut ille*, 25, ff. *De legatis* 3, et ubi expresse habetur lex, cessat omnis opinio, c. *Sicut* 2, dist. 15; c. *Si quis eorum* 8, dist. 30, cap. *Cuncta per mundum* 17, caus. 9, quæst. 3, cap. *Canonum statuta* 1, et cap. *Quoniam* 13, De constitution., cum similibus. Vide infra n. 39.

(36. Hic abs re non erit advertere ex Rutilio Benincasa, et variis gravibus auctoribus tacito nomine ab ipso allegatis in suo libro, cujus titulus *Almanacco perpetuo*, etc., p. IV, tract. 5, c. 14, quod moribundi deficere solent morte naturali fere semper in maris detumescencia, seu refluxu. Quando autem intumescat et detumescat mare, ad id explorandum, praemisso quod maris fluxus et refluxus, intumescencia et detumescencia unus sit ex mirabilibus effectibus, quos luminare minus, seu luna mirabiliter praestat, et quod in unoquoque suo lunari die aquas, crescere et decrescere faciat, ut sequitur, id est sex horis, et uno horæ quinto eas crescere, aliis sex horis, et uno horæ quinto eas decrescere efficiat, et ita successive de reliquo sui diei spatio, ac consimiliter de aliis suis diebus, praeaudatus auctor proponit exemplum dati diei, in quo quis exoptat scire quae supra, ac tabulam perpetuam, quam ad idem prope sciendum subnectit, etiam exponit. Unde ea ibi pro opportunitate ab exoptantibus regulæ praxim, utriusque medico et infirmariis, ad propositum perutile non minus ac nautis ad suum, de facili legi, vel transcribi poterit, advertendo tamen librum hujusmodi pluribus scater erroribus, ne in ipsos dilabamur.

(37. His adde, quod sanctæ mem. Summus Pontifex Benedictus XIV, anno 1747, die 5 April., constituit. incipient. *Pia mater catholica Ecclesia*, ampliavit episcopis facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis; etiam per alios, tam in civitatibus quam in diocesis ab ipsis subdelegatos. Ubi enim prius episcopis hanc facultatem petentibus concedebatur ad solum triennium, et hac lege, quod per seipsos immediate hanc benedictionem cum pl. indulg. applicatione ægrotis in articulo mortis constitutis largirentur, nec ipsi necessitate urgente, et quidem nocturno tempore, alium sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare possent: inde Pontifex eam ipsis ampliavit, et concedit ad vitam, ut latius in ipsa constitutione, declarans insuper quod etiam plures pios sacerdotes, sive sæculares, sive regulares, prout necessarium fore judicabant, in eorum civitatibus subdelegare valeant, qui dum ipsi antistites aliquo legitimo impedimento detinebantur, quamvis hujusmodi impedimentum diurno tempore occurrat, eorum vice dictam benedictionem cum indulgentiæ plenariæ applicatione præfatis ægrotis impertiantur; aliosque similiter per diocesis sæculares, aut regulares sacerdotes, quotquot necessarios judicaverint, ad prædictum effectum

deputare, et subdelegare possint; nec non eosdem a se deputatos remove, ac alios in eorum locum pro suo arbitrio, et prudentia subdelegare valeant. Hanc eamdem facultatem statuit esse in posterum concedendam omnibus episcopis, qui eam a Romano Pontifice postulaverint; et similiter omnibus praelatis inferioribus territorium separatum habentibus, cum vera qualitate nullius, et activa in clerum, et populum jurisdictione. Dummodo ipsi praelati hanc gratiam postulantes, sancta apostolorum limina præsceptis temporibus visitaverint, et relationem status suarum Ecclesiarum Apostolicæ Sedi exhibuerint, et debitum juramentum in prima eorum assumptione ad dictas praelaturas præstiterint, juxta præscriptum ab ipso Pontifice in sua constitut. incip. *Quod sancta*.

(38. Affertur modus pro supradicta benedictione impertienda ab ipso Benedicto XIV traditus, et approbatus in allegata sua constitutione incipiente *Pia mater*. « Habens igitur prædictam facultatem, vel simile privilegium, ingrediendo cubiculum ubi jacet infirmus, dicat: *Pax huic domui*, etc., ac deinde ægrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo antiphonam *Asperges*, etc. Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad elicendum actum contritionis, de hujus benedictionis efficacia et virtute, si tempus ferat, breviter admoneat, ac de aliis, prout videbitur expedire instruat, ut ibi latius. Tum piis ipsum verbis consoletur in spem erigens fore ut ex divinæ munificentiae largitate eam pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam. Et postea dicat: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*.

R. Qui fecit cælum et terram.

Antiphona. *Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (vel ancillæ tuæ), neque vindictam sumas de peccatis ejus.*

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

Ÿ. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam, et sic deinceps).

R. Deus meus sperantem in te.

Ÿ. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum N. (vel ancillam N.) quam tibi vera fides et spes Christiana commendant. Visita eum (vel eam) in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui te iudicem propitiatum inveniat, et in san-*

guine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

« Tum dicto ab uno ex clericis astantibus *Confiteor*, etc. Sacerdos dicat: *Misereatur*, etc. Deinde:

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam quam in baptismo recepisti: et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, etc.

Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis, et futuræ vitæ penas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducatur. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

« Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur. »

(39. Ad dicta sub n. 32, ad 33, advertendum est, quod eruditissimus P. Franciscus Maria Campioni in *Instructione ad confessarios*, c. 41, n. 12, refert ex card. Albitio, part. 1, *De inconstantia in fide*, c. 18 et 19, quod prædicta declaratio sacræ congregationis Concilii adducta a Fagnano supra n. 32, non reperitur in Regestis concilii, signum quod vel non emanavit, vel fuit expuncta, ut contraria communi sententiæ, occasione cujusdam episcopi, qui in examine interrogatus an sacerdos nominatim excommunicatus posset absolvere in articulo mortis, respondit affirmative. (40. Unde fuit excitatum murmur ob doctrinam Fagnani, et dubio delato ad Innocentium X, hic jussit suppressi quæstionem, neque amplius dubitari de opinione affirmativa, nempe pœnitentem in articulo mortis in defectu alterius sacerdotis habilis licite, et valide absolvi posse a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut hæretico. Confer. P. Giraldi in *Expositione juris Pontificii*, part. xi, sect. 39, et Carolus Blascum, dissert. secunda, *De pœnitentia*, italico idiomate prescripta, tom. II *Opusculorum canonico-historico-criticorum*, Neapoli anno 1761 editorum. Itaque infirmo plane fundamento nituntur adversæ opinionis patroni, qui in illa declaratione maximum sententiæ suæ præsidium collocant, ex quibus Bartholomæus de Valle, et Saavedra in *Compendio theologiæ moralis*, Romæ anno 1769 impresso, part. II, tract. 2, quæst. 3, art. 3, ex defectu notionis memoratæ declarationis profectum censet, ut multi oppositum doceant, quasi scilicet multi declarationem illam aut commentitiam, aut minime authenticam esse non demonstrassent.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

P. Lucius Ferraris hic advertit quod eruditissimus P. Franciscus Maria Campioni in *Instructione ad confessarios*, cap. 41, n. 12, refert ex cardinali Albitio *De inconstantia in fide*, cap. 18, § 19, quod prædicta declaratio sacræ congr. Concilii adducta a Fagnano, ac n. 32 supra relata, non reperitur in Regestis concilii, quod argumentum est, aut nunquam emanasse, aut expunctam fuisse, ut contrariam communi sententiæ, occasione cujusdam episcopi, qui in examine interrogatus an sacerdos nominatim excommunicatus posset absolvere in articulo mortis, respondit affirmative. Unde fuit excitatum murmur ob doctrinam Fagnani, et dubio delato ad Innocentium XI, jussit Pontifex suppressi quæstionem, neque amplius dubitari de opinione affirmativa, nempe pœnitentem in articulo mortis, in defectu alterius sacerdotis habilis, licite, et valide absolvi posse a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut hæretico. Præsens sacerdos sit, non præcisus, qui tamen nolit, aut non advertat necessitatem absolvendæ, non puto invalidam fore datam a præciso absolutionem, ut asserit Ferraris, n. 33.

RESPONSIO AUCTORIS.

Romanus theologus, *loc. cit.*, ait: « Præsens sacerdos sit, non præcisus, qui tamen nolit, aut non advertat necessitatem absolvendæ, non puto invalidam fore datam a præciso absolutionem, ut asserit Ferraris, n. 33. « At neque per somnium id asserit Ferraris pro allata hypothesi, debuerat enim scire noster theologus, ut scio ego Ferraris, quod in jure talis sacerdos in data hypothesi haberetur ut absens; pro absente enim habetur qui, præsens, quod peragere tenebatur, non facit, quodque ut faciat ei incumbit; l. *Non tantum si*, § penultim., et ibi, addit. margin., ff. *De fidei commissariis libertatibus*, et qui non intelligit, aut non advertit, nec præsens dici potest. » L. *coram Titio* 209, et l. *apud Labeonem* 246, ff. *De verborum significat.*, cum similibus. Nec illa hypothesis fuerat exprimenda, quia frustra exprimitur, quod intelligitur. L. *Cornelius* 69, *De hæredibus instituendis*; l. *Hæc verba* 3, ff. *De legatis* 1. Unicuique enim etiam in his cæco obvium est sine alia expressione, et additione, quod ego loquor in præsentia alterius sacerdotis carentis illis vitiis, et omnimodo parati ad absolvendum; quod si talis non sit ille alius sacerdos, stat ibi tradita necessitas moribundi, et amplissima a Trid. concessa facultas, ne hac occasione aliquis pereat.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. Moribundus, qui et agonizans dicitur, « is est qui, exasperante jam morbo, et natura prostrata, animam efflaturus de proximo est; » viventibus, et non mortuis accenseri debet. Quinimo sanæ mentis præsumitur, nisi de contrario constet; eaque propter testamentum et codicillos condere,

tum contractus inire valet. Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. 1, disput. 5, c. 1, n. 9 et plur. seq.

(42. Vim magnam habere solet confessio moribundi, eo quia nemo præsumitur in articulo mortis velle mentiri. Sed nec in præjudicium tertii, nec in sui et hæredum commodum credendum esse moribundo tradunt Klock, vol. II, consil. 43, n. 28 et seq., et consil. 40, n. 20; Pacianus, *De probat.*, lib. 1, c. 53, n. 46; Mevius, *Ad jus Lubecens.*, part. II, tit. 2, art. 24, n. 11. (43. Præsumptionem autem et indicium aliquod hisce etiam casibus facere confessionem moribundi non est dubitandum; Mascard., *De probat.*, conclus. 1229, n. 1 et 8; Farinac., *Prax. criminal.*, lib. 1, tit. 5, q. 46, n. 17.

(44. Quid, si judex in agone confiteatur se pecunia corruptum tulisse sententiam? Obligare se suosque hæredes ad pœnam tripli expressam in Authent. *Novo jure*, c. *De pœn. judic.*, qui mal. judic., nequaquam vero præjudicium creare tertio, ut sententia proinde sit rescindenda, sequitur ex mox dictis. Idemque dicendum de arbitro Mascard., *De probat.*, conclus. 949, n. 23 et seq.; Farinac., dict. quæst. 46, n. 77.

(45. Nec testis moribundi confessio, quod falsum tulerit testimonium, quidquam obstabit, si prolata jam sententia; secus autem re adhuc integra. Vide Pacian., *De probat.*, lib. 1, cap. 53, n. 46; Farinac., dict. q. 46, n. 84.

(46. De proxenata contractus simoniaci, an ipsi tale scelus in agone confitenti sit credendum quæritur. Negat. Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. 1, disput. 5, cap. 3, n. 8.

(47. Circa contractus duplici modo moribundi confessio considerari potest, vel prout obligationem astruit, et obligatoria dicitur, vel prout obligationem destruit, et liberatoria nuncupatur. (48. Confessio obligatoria a moribundo dupliciter emittitur, vel ratione sui ipsius confitentis, vel ratione tertii. Ratione sui ipsius, si se certæ alicui personæ asserat obligatum ad certam quantitatem. Ratione tertii, si alterum sibi obligatum profiteatur. Confessio liberatoria semper uno modo emittitur, ut, si quod alter debebat, acceptum dicatur. (49. In una vero, et altera confessione constitutum, hic in moribundi persona obtinet.

(50. Confessio obligatoria, sine expressione causæ non attenditur regulariter. At ea emissa a moribundo attendi debet. Mascard., *De probat.*, conclus. 345, n. 3; Daumhoud., *Pract. civil.*, cap. 13, n. 10 et seq.

(51. Sed, an ea possit revocari a moribundo, tum an hæres possit probare non subesse causam, vide apud Hann. *ad Wessembec.*, tit. *De confess.*, n. 5.

(52. De alterum obligando si confessio loquatur, nihil valet. Sed si emanaverit a moribundo, præsumptionem quamdam facit pro confitente et hæredibus. Struv., *Synagm. jur. civil.*, tit. *De confess.*, thes. 24; Brunemann., *Repetit.*; Paratil., *Wessembec.*, dist., tit. *De conf.*, quæst. 2.

(53. Confessio liberatoria, si agatur de dote, vim non habet, si intra tempus legitimum opponatur exceptio non numeratæ dotis. At facta a moribundo opponi hæc exceptio nequit, nisi facta sit in fraudem legis, vel tertio præjudicet. Stryk, *Jurid. disert.*, vol. I, disp. 5, cap. 3, n. 13 et plur. seq.

(54. Hactenus de confessione moribundi in civilibus. Agendum paululum de ea in criminalibus. Prima occurrit quæstio an standum sit confessioni vulnerati de auctore cædis? Eam non probare, sed tantum indicium facere tenent non pauci. (55. Sed et quæstionis est an faciat indicium ad tor-

MORTIS ARTICULUS.

(1. Mortis articulus in servis Dei, illustris, et sanctimonia conspicuus apparere debet. Benedict. XIV, t. I, constit. 141, incip. *Sollicitudini nostræ*, § 5 et 7. (2. In mortis articulo constituti quorumcunque peccatorum absolutionem, et censurarum relaxationem a quocunque presbytero obtinere possunt.

MULTÆ.

(1. Multas pecuniarias episcopus sibi ad dicere non potest, quantumvis pauper sit, sine licentia Sedis Apostolicæ, ut ex pluribus argumentis S. congregationis evincitur in tractatu *De synodo diocesana*, lib. VII, cap. 53, § 2. Sed debent in usus pios applicari illæ multæ, quas Tridentinum infligit clericis non residentibus, aut concubinariis. *Ibid.*

(2. Si quas vero multas diocesana synodus alicui certo loco pio applicaverit, epi-

(1. Mulieres ad ministerium altaris nullatenus sunt admittendæ. Benedict. XIV, t. I, constit. 57 incip. *Etsi pastoralis*, § 6. (2. Mulieres menstruali morbo laborantes arceri nequeunt a sacramentis, aut ab ingressu ec-

SUMMARIUM.

1. Mundus unde sit dictus? — 2. Mundus in sacra Scriptura usurpatur quinque potissimum modis, qui assignantur. — 3. Assignatur alia quintuplex mundi acceptio apud philosophos et theologos. — 4. Mundus variis illustratur titulis, qui assignantur. — 5. Mundus quid sit? — 6. Mundus de facto est anicus; non repugnant tamen plures, ad n. 8. — 9. Mundus non fuit creatus ab æterno. — 10. Mundus probabilius creatus est verno tempore in æquinoctio luna plena, et die Dominico, ad n. 14. — 15. Mundus non fuit creatus in instanti, sed sex dierum spatio. — 16. Afferuntur et solvantur objectiones, ad n. 17. — 18. Quid creatum fuerit primo die? — 19. Quid secundo? — 20. Quid tertio? — 21. Quid quarto? — 22. Quid quinto? — 23. Quid sexto? — 24. Adam et Eva ambo fuerunt producti sexto die. — 25. Adam productus fuit ex limo terræ. — 26. Adam in quo loco productus fuit? — 27. — Adam creatus fuit in ætate perfecta, qua posset generare. — 28. Eva producta fuit de costa Adami. — 29. Cur Eva producta fuerit ex costa. — 30. Non solum ex costa, sed etiam ex carne Adami

turam? (56. Negat cum aliis Stryk., *loc. cit.*, cap. 4, n. 2 et plur. seq., et quidem etiam si juramento id asseruerit moribundus. Monet vero Stryk, teneri hæredem ad accusandum eum, quem moribundus suæ cædis auctorem dixit.

(57. Quod dictum est de confessione moribundi circa homicidium, id ipsum obtinet de confessione ejusdem circa veneficium, et alia id genus delicta.

(58. De effectu exculpationis factæ a moribundo, mire inter se dissentiunt doctores. Confer Stryk, *ubi supra*, cap. 4, tit. 8, plur. seq., qui et de moribundo fatente se delictum commisisse disserit.

Idem, t. II, constitutio. 34, incip. *Pia mater*. (3. Iisdem indulgentiam plenariam facile concedi optat Ecclesia. Idem, *ibid.* (4. Mortis acceptatio inculcatur tanquam opus in junctum pro consequenda plenaria indulgentia in mortis articulo. Idem, *ibid.*

MULIER.

scopi non possunt illas sibi obtinere ab Apostolica Sede, etiamsi sint pauperes, quia Sedes Apostolica juri alteri quæsitio præjudicium non infert. *Ibidem*, § 3.

(3. Has vero multas antequam applicentur suæ destinationi, deponendas esse penes administratorem fidelem, jussit sac. congregatio in sua encyclica ad omnes episcopos, die 5 Februarii 1670, *ibid.*, § 4.

Alia vide verb. EPISCOPUS, art. 6 a n. 63 ad 67, et verb. POENA, art. 5, a n. 50 ad 72.

MULIER.

clesiæ. Idem constitut. 107, incip. *Omnium sollicitudinum*, § 3, 14 et 39.

(5. Ad rem alia plurima vide verb. FEMINA

MUNDUS

producta fuit Eva. — 31. Costa illa quamvis fuerit Adami necessaria, ut erat caput naturæ humanæ, erat tamen ei superflua quantum ad integritatem individui, ad n. 32. — 33. Adam formatus fuit cum pluribus costis in uno latere, quam in alio, ut ex ipsa superabundante formaretur Eva; qua ablata et inde formata Eva, remansit in utroque latere Adami par costarum numerus, et fuerunt tot, quot in nobis. — 34. Unde non videtur sequenda opinio aliquorum dicentium, quod femina habeat unam costam plus quam viri. — 35. Solus Adam creatus fuit, et ex ipso Eva. — 36. Hinc solum peccatum Adæ, et non Evæ transiit in omnes homines. — 37. Adami corpus secundum aliquos veteres Ecclesiæ Patres dicitur formatum ex quatuor mundi partibus. — 38. Adam cur vocaverit uxorem suam Evam. — 39. Adam extra paradisum fuit formatus, et Eva intra paradisum. — 40. Eva cur formata in paradiso? — 41. Adam semel tantum positus fuit in paradiso terrestri, et non bis. — 42. Adam, et Eva, violato Dei præcepto, ejecti sunt de paradiso. — 43. Qua die, et qua hora Adam et Eva comederint de fructu vetito, qua item expulsi sint de pa-

radiso? ad n. 45. — 46. Arbor cujus fructus comestio fuit prohibita Adamo et Evæ, probabilius fuit malum, seu pomum, specie tamen diversum ab omnibus malis nostris. — 47. Unde omnimode rejicienda est erronea opinio eorum, qui existimabant arborem illam fuisse mulierem, et Cainum et Abelem genitos fuisse in paradiso terrestri. — 48. Cain et Abel geniti fuerunt extra paradisum terrestrem, et quo mundi anno. — 49. Eva quolibet partu geminos pariebat, masculum et feminam; quo nomine vocata fuerit soror gemella Cain, et quo soror gemella Abel, et quot filios genuerint Adam et Eva. — 50. Nec etiam sequenda est opinio eorum qui censuerunt arborem illam fuisse frumentum, aut vinem. — 51. Neque etiam vera videtur sententia aliorum volentium arborem illam fuisse ficum. — 52. Adam et Eva, e paradiso ejecti, probabilius eam regionem quæ nunc Judæa et Palestina dicitur, incoluerunt. — 53. Adam in monte Calvario, a cranio, seu calvaria ipsius ita nominati, probabilius tumulatus fuit. — 54. Adducitur et solvitur objectio. — 55. Est tamen etiam probabilis opinio tenens Adamum sepultum fuisse in Hebron. — 56. Paradisus unde sit dictus, et quid significet? — 57. In quam mundi parte constitutus fuerit paradisus terrestris? ad n. 58. — 59. Quanta fuerit latitudo et longitudo paradisi terrestris? — 60. Paradisus terrestris adhuc existit, ad n. 61. — 62. Afferuntur et solvuntur objectio. — 63. Mundi ætates alii dividunt in sex, et alii in septem, et assignantur. — 64. Traduntur celebriores opiniones de numero annorum qui ab orbe condito ad æram Christi vulgarem effluerunt. — 65. Epocha et æra unde sint dictæ, et quæ sint? — 66. Epochæ distinguuntur in sacras et profanas, et quæ sint? — 67. Inter epochas sacras præcipua a Christi nativitate desumitur. — 68. Epocha Christi nativitate, alia est vera, et alia vulgaris, et quando utraque incipiat? ad n. 69. — 70. Aliæ epochæ sacræ habentur sub n. 63 et 64. — 71. Inter epochas profanas præcipua ac prima est quæ desumitur a Trojæ excidio. — 72. Secunda est epocha Olympiadum, seu a ludis Olympiacis. — 73. Quid fuerint Olympiades, et ludi Olympiaci, remissive. — 74. Tertia est epocha ab urbe Roma condita. — 75. Quarta est epocha, seu æra Hispanica. — 76. Quinta est epocha Arabum, et Mahometanorum ab ipsis *hegira* vocata. — 77. Mundus ab antiquis geographis dividebatur in tres solas præcipuas partes, nempe in *Europam*, *Asiam* et *Africam*; a recentioribus autem dividitur in quatuor, addita supradictis *America*, et ab aliis adhuc modernioribus additur etiam quinta pars *Magellanica* appellata. — 78. Europa unde sit dicta? — 79. Asia unde sit dicta? — 80. Africa unde sit dicta? — 81. America unde sit dicta? — 82. Non parva pars Americæ, seu novi orbis adinventi, et ad fidem catholicam conversi orbis, debetur mee seraphicæ religioni, ad n. 85. — 86. Magellanica unde sit dicta? — 87. Mundus dividitur adhuc in quatuor partes, nempe in continentem, insulam, peninsulam et isthmum, quæ omnes explicantur. — 88. Mundus quatuor habet spatia, seu plagas nempe Orientem, Occidentem, Meridiem et Septentrionem. — 89. Secundum has quatuor mundi plagas cardinales, quatuor etiam sunt venti principales, nempe Eurus seu Subsolanus, Zephyrus, seu Favonius, Auster seu Notus, Boreas seu Aquilo. — 90. Præcipua et celebriora mundi systemata sunt tria, nempe Ptolemaicum, copernicanum et Tychnonicum. — 91. Systema quid sit? — 92. Systema Ptolemaicum unde sit dictum? — 93. Systema Ptolemaicum quid sit, quidve importet? — 94. Systema Ptolemaicum fere ab omnibus antiquis fuerat receptum: at nostris hæc temporibus fere ab omnibus rejicitur. — 95. Systema Copernicanum unde sit dictum? — 96. Systema Copernicanum quid sit, et quid importet.

— 97. Systema Copernicanum tanquam thesis rejicitur. — 98. Afferuntur et solvuntur objectio. — 99. Adducitur et solvitur instantia. — 100. Systema Copernicanum de motu terræ, et solis quiete, quamvis defendi possit ut hypothesis, nullimode tamen defendi potest ut thesis. — 101. Assignatur discrimen inter thesim et hypothesim. — 102. Systema Tychnonicum unde sit dictum. — 103. Systema Tychnonicum quid sit, et quid importet? — 104. Alia fere infinita reperiuntur tradita mundi systemata, brevitate gratia ommissa, et solum traduntur circa ista duo notabilia dicta. — 105. Mundus est rotundus, sive sphaericus. — 106. Mundi rotunditas variis experimentis constat. — 107. Mundi et terræ rotunditas clarissime demonstratur a geometris et architectis. — 108. Ex mundi et terræ rotunditate clare deducitur vere dari et exstare antipodes, et qui sint, et unde dicti? — 109. De eorum existentia dubitarunt olim plerique: at nullus nunc est amplius ambigendi locus. — 110. Afferuntur et solvuntur objectio. — 111. Terra rotunda seu spherica pendet in medio aeris sine ullo sustentaculo, et cælum pariter rotundum, et sphaericum est undique distans æqualiter a terra, et pluribus demonstratur. — 112. Mundus, seu terræ circuitus, aut ambitus quantus sit? — 113. Qui circumveant mundum versus orientem, et redeunt versus occidentem ad eundem locum unde discesserunt, numerant diem unum plusquam habitatores illius loci. — 114. E contra, qui circumveant mundum versus occidentem, et versus orientem redeunt ad eundem locum unde discesserunt, numerant diem unum minus quam habitatores illius loci. — 115. Si artem duo circumferant totum orbem, uno pergente versus orientem, et altero versus occidentem, quocunque loco se invenirent, seu sibi occurrerent, differrent ab invicem uno die. Et si deinde prosequerentur suum iter ambo redeundo ad locum unde discesserunt, unus ab oriente, et alter ab occidente, differrent necessario ab invicem duobus diebus. — 116. Ex supradictis oritur dilucidatio curiosi problematis, quomodo sit possibile, quod ex duobus gemellis ambobus natis, et mortuis in eodem die et momento, unus plus altero vixerit de uno, vel duobus diebus. — 117. Sphæræ nomine quid intelligatur? — 118. Sphæra potissimum pro artificiali sumitur, et quid sit? — 119. Quare vocetur sphaera artificialis, et quis fuerit ejus inventor et auctor? — 120. Hæc sphaera vocatur *armillaris*, et quare? — 121. In hac armillari sphaera decem circuli vulgo representantur, sex majores et quatuor minores, qui assignantur cum suis qualitatibus et differentiis ad invicem. — 122. Ex dictis sex majoribus circulis tres sunt, nempe *horizon*, *meridianus* et *æquator*, quorum poli, seu puncta, ex quibus describuntur, sunt magni momenti in sphaera et vocantur *puncta cardinalia*. — 123. Primi ipsorum cardines, seu puncta cardinalia sunt duo poli mundi. — 124. Polus unde sit dictus, et quid significet? — 125. Polorum alter vocatur *arcticus*, *septentrionalis* et *borealis*, et alter ex diametro oppositus appellatur *antarcticus meridionalis* et *australis*; quare sic dicti et quales sint, ad n. 126. — 127. In medio horum polorum pendet terræ globus et quomodo? — 128. Axis mundi quid sit? — 129. Ultra assignatos supra n. 123, prædictorum majorum circulorum principales cardines, seu puncta cardinalia, sunt etiam *zenith* et *nadir*; quid significant et sint? — 130. Item sunt etiam puncta veri ortus et occasus solis, et quæ sint? — 131. Primus ex majoribus circulis est horizon, et quid sit? — 132. Horizon est duplex: sensibilis et rationalis, et quis sit uterque? — 133. Meridianus quid sit? — 134. Æquator quid sit? — 135. Zodiacus quid sit? Assignantur duodecim ejus signa duobus versibus comprehensa. — 136. Signa quæ primo versu continentur, dicuntur septentrionalia,